

**D**amiani. et omnium sanctorum. quorum sollem-  
nitas hodie in conspectu tue maiestatis. re-  
veratur. **D**ne deus noster tota in diem terrarum  
et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibus  
et orationibus. ut in omnibus protectionibus tue rem-  
aneamus auxilio **et** eundem christum dominum nostrum.  
**A**nt igitur oblationem servitutis nostrae  
et civitate familie tue. **Q**uesumus **d**ne. ut pla-  
cis accipias. dies quoque nostrorum in tua pace di-  
cas. atque ab eterna damnatione nos tri-  
plex electorum tuorum iubeas grege numerari **per**  
dominum nostrum **Q**uia oblationem tuam iuris  
omnibus que. benedicta **et** assumpta **et**  
rationabile. acceptabile que face-  
ris. ut nobis. corpus **et** sanguis **et**  
delectissimi filii tui domini nostri ihesu christi

MS 612

Sammelband

Ausg. 1. Bd.

68.

Programma  
*AD STUDIOSAM JUV-*  
*VENTUTEM*

In inclytâ Academia Iuliâ

FESTO PASCHA-  
TIS

P. P.



HELMAESTADI,  
Typis heredum Iacobi LucI,  
clō 10 cXXIII.

100.



PRO-RECTOR ACADEMIAE IULIAE  
HENRICVS ANDREAS CRANI-  
VS, I. V. D. & Cod. Professor ordinarius

*Studiosae iuventuti S. D.*

Certum pijsq; mentibus ἀμετάπτωτον esse debet, in utroq;  
Testamento præcipue Christum cum universo merito  
querendum esse. *Lege* (inquit August. tract. 9. in Ioan.) *li-*  
*bros omnes Propheticos non intellecto Christo, quid tam insipidum*  
*& fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit, quod*  
*legis, sed etiam inebriat; mutans mentē à corpore, ut praterita obli-*  
*viscens in ea, quæ ante sunt, extendaris.* Scrutamini, inquit  
Servator ipse, *Iohan. 5. v. 39.* scripturas, illæ sunt, quæ testi-  
monium de me perhibent :: & in volumine libri scriptum  
est de me; ait *Psal. 40. v. 9. Hebra. 10. v. 7.* Hinc *Augustinus l. d.*  
*Prophetias absq; vero suo intellectu aquæ comparat, sed vi-*  
*no, quando Christus in ijs invenitur. Erat Prophetia* (in-  
quit) *antiquis temporibus & à Propheta dispensatione nulla tē-*  
*pora cessarunt. Sed illa Prophetia, quæ in illa Christus non intelli-*  
*gebatur, aqua erat: in aqua enim vinum quodammodo latet. Omnia*  
ait idem *l. 12. contra Faustum, cap. 7. quæ in sacris continen-*  
*tur, vel de Christo dicta sunt, vel propter ipsum.* Tribus autem  
potissimum modis in scripturis veteris Testamenti Chri-  
stus quasi involutus latet. Primò *ratione predictionum, Act.*  
*10. v. 43.* quæ interdum tantâ constant perspicuitate, ut Pro-  
pheta Evangelistas non rarò non Prophetas agere videan-  
tur, dicente *Hieronymo in prol. ad Paulam & Eustochium, & Au-*  
*gustino l. 18. de Civitate Dei cap. 29.* Secundò *ratione figurarum,*  
*& typorum;* habuit n. lex ceremonialis umbram futurorum  
honorum, quorum substantia est in Christo, *Hebra. 10. v. 11.*  
Tertio *ratione promissionum divinarum,* inter quas familiam  
du-

ducunt πρώτου αγγελίου, Gen. 3. v. 15. promissiones Abrahamo  
& alijs factæ, Gen. 22. v. 17. Gal. 3. v. 16. In hodierno Pascha-  
tis (de quo nomine Casaubonus exercit. 16. contra Baronium,  
p. 330. seqq. ἀξιωματικόν εὐτα annotavit) festo accuratam merce-  
tur meditationem promissio Hoseæ 13. v. 14. De manu mortis  
liberabo eos. Ero mors tua ὁ mors, ero morsus tuus, ὁ inferne. Con-  
solatio abscondita est ab oculis meis. Hoc dictum de spirituali  
omnium hominum redemptione intelligendum gloriosum  
Servatoris ἐπιπέδιον dicitur, quod devictis hostibus ac dele-  
to, quod contrariū nobis erat, chirographo cruciq; adfixo,  
Col. 2. v. 14. cecinit. Quam receptam Ecclesiæ sententiam  
contra Judaicas Calvinii de corporali & absolutâ liberatione  
hunc locum exponentis glossas meritò tenemus. Etenim  
annon ipsa verborum συνέχεια beneficium Christi nobis in  
memoriam revocat? Et quæ causa est, ut ad temporalia tale  
dictum restringam, quod generalibus verbis formatum est,  
& ubi nulla necessariæ restrictionis signa in textu deprehen-  
duntur? Quis ignorat, mortis vocabulo æternam cum pri-  
mis damnationem, & voce ἡνὶ τὸ πᾶς statumq; damnatorū  
notari? Ab his ergo unâ intellectis liberatio promittitur.  
Et constat, in more positum esse Prophetis, ut occasio-  
ne temporalium ad bonorum spiritualium promissiones  
transeant, ac pios corporalium bonorum spe destitutos  
spiritualium ac æternorum ἀναμνήσει erigant. Accedit au-  
toritas Apostoli, interpretis omni exceptione majoris, qui  
de Christo ac liberatione spirituali ab æternâ morte & dā-  
natione per eundem nobis ad quietâ locum hunc Prophe-  
ticum intellexit, 1. Cor. 15. v. 54. 55. Cum mortale hoc indueris  
immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors  
in victoriâ. Vbi est mors stimulus tuus? ubi tua, inferne, victo-  
ria? Licet enim priora verba (mors in victoriâ absorpta  
est) apud Esaiam c. 25. v. 7. 8. existent, posteriora tamen in

*Hosea* tantum nostro leguntur. Neq; in scripturis novum, ut duo vaticinia copulata inveniantur. *Vid. 1. Petr. 2. v. 7. 8. Psal. 118. v. 22. Esa. 8. v. 14.* Et quamvis in verbis Prophetæ & Apostoli sit quædam diversitas, sensus tamen eodem recidit. Vocabulum *pestis* Apostolus reddidit per τὸ κέντρον, adeoque instrumentum pro effectu posuit. Nomen *excisionis* per τὸ ἄνω reddidit, quia inferni triumpho & victoria nostra est perditio. Et notandum, *Paulum* non alludere ad verba Prophetæ, sed illorum allegatorum verum sensum ostendere; nam expressè ait: Tunc quoniam pii resuscitati, & ab æternâ morte liberati glorificabuntur, tunc fiet sermo in *Hosea* scriptus, ubi est, ô mors, stimulus tuus? Promittitur ergo apud *Hoseam* spiritualis à morte liberatio, omnibus per Christum acquisita, credentibus verò in resurrectione mortuorum collata. Hinc *Hieronymus in a. 13. Hoseæ* locum hunc de Christi redemptione interpretatur. Legatur & *Athanasius tom. 1. de Incarnat. Verbi, p. 53. & 58.* Et hanc expositionem de spirituali redemptione ipse *Zanchius* facilem vocat, & *Paulum* adpositè hunc locum allegasse fatetur. Videatur *Tremellius in notis ad v. 14. & Iunius l. 1. parall. 2. par. 43.*

Christus itaq; per cuius sanguinem redemptio facta est, *Ephes. 1. v. 7. 1. Petr. 1. v. 18.* per quem victoria parta est, *1. Cor. 15. v. 57.* reliquias fidelium in populo Israelitico per Prophetam sic alloquitur: Licet terrenum inter vos regnum non sim reparaturus: attamen, quod longè majus est, fideles in hoc populo superstites longè majoribus adficiam beneficijs, de manu & captivitate æternæ mortis, damnationis & inferni, cui propter peccatum subiecti sunt, eos liberando, ac temporalem mortem fidelibus in dulcem somnum convertendo, ut mors ipsis non detrimento, sed potius adjuvamento futura sit, utpote per quam ab omnibus malis liberati ad æterna cælorum gaudia transibunt, *Iohan. 5. v. 24.*  
Duo.

Duobus autem verbis redemptio exprimitur. *Primum est* פָּדָה à Rad. פָּרַד liberavit & redēit ex angustiâ & captivitate. *Alterum* נָקַם à R. נָקַם vindicavit jure propinquitatis. Christus enim nostræ carnis & sanguinis particeps factus est, ut per mortem destrueret eum, qui mortis imperium habebat, *Hebra. 2. v. 14.* Et sic Deus per Christum nobis victoriam dedit, *1. Cor. 15. v. 54. & seq.* Unde magnâ cum ωλυφροειά dicimus: Certi sumus, quod neque mors neq; vita &c. nos à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu, separare possit *Rom. 8.* Egressi sumus in manu excelsâ, ut de Israelitis dicitur, *Exod. 14. v. 8. Num. 33. v. 3.* de manu, hoc est, potestate inferni & mortis, quæ peccati stipendium est, *Rom. 6. v. ult.* Mors naturæ in somnū mutata, & mors gratiæ gloriæq; à credentibus penitus ablata est.

Notanda verò est παρρησία & πεινίσις Servatoris nostri ac victoris gloriosi, hostibus nostris provocatis exitium velut in faciem minantis: *Ero ó mors* אֶמְוֶתְךָ hoc est, multis modis te perimam, & non uno pestis genere te destruem. *Ero ó inferne*, אֶמְוֶתְךָ excisio tua. Cujus decreti immutabilitatem statim his verbis addit: *Consolatio abscondita est ab oculis meis.* Vocabulum *Hebraum* & consolationem & poenitentiam significat. Si de consolatione cum Hieronymo & Luthero interpretemur, verba hæc Ecclesiæ erunt attribueda. Licet enim promissionum divinarum sensus sit ἀμεταβάλητος & ἀμετακίνητος: tamen fideles sub tempestate calamitatum consolationem ab oculis carnalibus non rarò absconditam sentiunt. Nondum enim adparuit, quid futuri sint, *1. Ioh. 3. v. 2.* in spe ambulant, non in αὐτοψία, *2. Cor. 5. v. 7.* Si verò de poenitudine, verba erunt Iehovæ, promissionis sensum ἀμεταμέλητον esse affirmantis. *Vid Num. 23. v. 19. Mal. 3. v. 7.* In ejus promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas, ait *Fulgenzius l. 1. ad Mon.*

In hujus aphorismi Prophetici meditatione hisce die-  
bus delitiamur. Licet enim naturâ simus filij iræ, *Ephes. 2.*  
peccati servi, *Ioan. 8.* Satanæ captivi, *Luc. 4. Hebra. 2.* præda  
infernî, *Esa. 5.* tamen per Christum de manu mortis libera-  
ti, mortem non amplius ut leonem timemus, sed ut pellem  
conculcamus, *iuxta Basilium in epist. ult.* Qui enim credit in  
Christum, quamvis mortuus fuerit, vivet tamen in æternû  
*Iob. 11. v. 25.* Ipse primogenitus ex mortuis, *Apoc. 1. v. 5.* fa-  
ctus primitiæ dormientium *1. Cor. 15. v. 20.* & perruptor an-  
te nos adscendens, *Mich. 2. v. 13.* qui expolians principatus &  
potestates traduxit confidenter palam, triumphans hostes  
in semetipso, *Col. 2. v. 15.* & resurrectione suâ vitâ immor-  
talem nobis reparavit, *2. Tim. 1. v. 10.* ob signato peccato &  
æternâ justitiâ adductâ, *Dan. 9. v. 24.* Ipse dixit: Vivo, & vos  
vivetis, *Iob. 14.* Mortuus eram & ecce sū vivus in secula secu-  
lorum, & habeo claves mortis & inferni, *Apocal. 1. v. 18.* In-  
juria Domini nostra gloria est: ille mortuus est, ut nos vi-  
veremus, juxta *Hieronymum in cap. 3. Galat.* Christus, ait Au-  
gustinus Serm. 156. de temp. mortem usq; ad infernum perse-  
quitur gloriosius captivandam in regno suo, & magnificentius in  
sedibus suis triumphandam. Ad descensum itaq; celestis Domini  
profundum inferi pãditur, peregrinû sibi lumen inferri nox æterna  
miratur. Expavit ergo nox subito non suum mortuum, imò expavit  
mortem suam. Aderat enim ille, qui dudum per Prophetam suum  
dixerat: *Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus, ô inferne.* Secu-  
ræ igitur estote caro & sanguis, usurpatis & cælum & regnû  
Dei in Christo, negent in cælo Christum, qui vobis cælum  
negant, ut loquitur *Tertullianus l. de resurr. carnis, cap. 51. p. 341.*  
In Christo homine, ait *Maxim. in Serm. de resurr.* est uni-  
uscujusq; nostrum caro, sanguis & portio. Vbi ergo portio  
mea regnat, regnare me credo, ubi dominatur sanguis me-  
us, me sentio dominari: ubi glorificatur caro mea, me  
glo-



gloriosum esse cognosco. Cum itaq; cum Christo resur-  
rexerimus, quæ sursum sunt, quæramus, ubi Christus est ad  
dexteram Patris, *Col. 3. v. 1.* Vbi est *πολίτευμα* & thesaurus  
noster, ibi etiam sit cor nostrum, *Matth. 6. v. 21. Philip. 3. v.*  
*20.* Interim inter hos fatales tumultus & horrendos cor-  
ruentis Mundi fragores coëamus in cætum & adgregatio-  
nem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiam<sup>9</sup>  
orantes, hæc vis Deo grata est, *dicente Tertulliano in Apolog.*  
*adv. gentes, c. 39.* Sic discipuli in Emaus euntes *παρεβιάσυντο*  
Servatorem, dicentes, mane nobiscum, quoniam advespe-  
rascit & inclinavit dies, *Luc. 24.* Væ enim nobis si ille à no-  
bis recesserit, *Hos. 9. v. 12.* Te itaq; æterne Deus, Pater Do-  
mini nostri Iesu Christi invocamus supplices, ut no-  
biscum secundum misericordiã tuam facias. O Deus virtu-  
tum convertere, respice de cælo, vide ac visita vineam tu-  
am, & perfice eam quam plantavit dextera tua. Da nobis  
*Doctores iustitia*, qui stent in domo Domini, & atriis domus  
Dei nostri. *Da sedentes in iudicio & docentes iustitiam.* Creasti  
de terrâ *medicinam*, da scientiam ei<sup>9</sup> *hominibus nostris.* Deus scien-  
*tiarum* imple atria domus tuæ sapientiã, custodi inter nos  
semen sanctum, serva *Principes nostros*, ut nomen tuum a-  
pud scuta terræ exaltetur. Expectatio Israel Servator no-  
ster in tempore tribulationis, quare quasi peregrinus es in  
terrâ, & quasi viator declinans ad pernôctandum? quare  
futurus es velut vir obstupescens, & fortis, qui salvare ne-  
quit? Tu autem in nobis es Domine, & nos à te denomina-  
ti sumus, ne derelinquas nos. Dissipa gentes, quæ volunt  
bella, ne vëiant in hereditatem tuam, qui polluant templū  
sanctum tuum: Depelle ab ædibus nostris exterminatorē,  
ne forte comburatur ut ignis domus Ioseph, & non sit, qui  
extinguat. Benedicat nobis Deus, Deus Iacob, & metuant  
cum

Ioel. 9.  
Psal. 134.  
Psal. 122.

Syr. 38.  
1. Sam. 20.

Jerem. 14.

cum omnes sine terræ. Dominus custodiat introitum & exitum nostrum ex hoc nunc & usq; in seculum.

Sed digitum saltem ad piarum precum meditationem his conclamatis temporibus summè necessariam intendisse sufficiat. Nam à ministris verbi hæc omnia luculentius explicabuntur, quos debitâ cum attentione audietis, grati animi ἀγαλλιάσιον eis exhibebitis, & vitam Paschalem, præ eunte verbi lucernâ, sic instituetis, ut, vos cum Christo resurrexissetis, reapse declaretis. Sic in extremo die è sepulchris vestra prodibunt corpora, splendoribus æmula solis, & dabuntur vobis vestimenta alba innocentiae ac lætitiæ symbola. *Beatus, qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videantur verenda eius, Apocal. 16. v. 15. Ambulate, dum lucem habetis, ne vos tenebra comprehendant. Nam qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Valcte.*

P. P. in Acad. Iuliâ XIII. April.

An. clc lccXXIII.




V 17




innumeris gratiis et benedictionibus hanc  
viam. hanc **X** innumera hanc sancta **X**  
innumera illibata. **X** in primis que tibi  
in primis pro ecclesia tua sancta catholica  
pacificam custodire. adiuuare. et regere  
ris toto orbe terrarum. una cum familia tua  
mon. Rege. in **S** antistitibus nostris **S** et omnibus  
orthodoxis catholice et apostolice fidei  
toribus. **M**emento domine famulorum famularum  
que tuarum. **S** et omnium circumstantium quorum  
fides cognita est. et nota deuotio pro quibus  
tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc  
sacramentum laudis pro se suis que omnibus pro  
ratione animarum suarum. pro spe salutis. et  
incoluntatis sue tibi reddunt vota sua  
eterno deo uiuis et uero **O**mnibus





Farbkarte #13

B.I.G.



ma

SAM JV.  
TEM

emia Iulia

ASCHA=



ADI,  
acobi LucI,  
XIII.